

Weichbild magdeburski w układzie śląsko-małopolskim.**Wersja sandomierska**

Rękopis Biblioteki Narodowej BOZ 90, k. 58v–59

Odczyt: Maciej Mikula

Artykuł 61

[61] De armis bellicis et suppellectili feminarum et sacerdotum iure et monomachorum. Capitulum Lxi

<Lxxxii^a> Mulier pro armis bellicis gladium mariti runcinum vel dextrarium melliorem sellatum et meliora arma, que habuerit pro corpore unius viri, cum decessit in sua potencia, deinde dare debet pulvinar bellicale, hoc est lectum et duos cussinos, et duo linthamina, et unum mensale, et duas pelves, et unum manuterium. Hec sunt universalia arma bellica. Sed tamen aliqui homines diversa apponunt, que tamen ad ea non pertinent, sed quicquid ex hiis nominatis mulier non habuerit et h[oc], quod debet, compelli non potest, si iuramento probaverit pro qualibet re per se. <Lxiii^a> Si vero ostendere poterit, ibi vir nec mulier per iuramentum evadere possunt. Ubi duo vel tres et una bellica arma [k. 59] nati fuerint, senior recipit gladium pro se et cetera dividunt inter se equaliter. Et ubi pupilli annos pubertatis nondum attingerint, eorum senior agnatus recipit arma bellica solus, et in eis tutor est puerorum quousque ad annos pervenerint discrecionis, extunc ipsis rationem reddere tenetur et super ipsorum omnia bona, nisi rationem fecerit in eis, quo ea ad eorum profectum converterit, aut per spolium aut per apparens infortunium et absque sua voluntate amisit. Ipse etiam est vidue tutor, quousque maritum ducit, si paris condicionis fuerit. Post arma bellica mulier vite promissionem recepit et alia omnia, que ad suppellectilia pertinent, hoc sunt omnes oves et auce, ciste cum elevatis tecturis, omnia strata pulvinaria, cussina, linthamina mensalia, pelves, manuteria, lucibula, candalabra, semen lini et omnia muliebra vestimenta, annuli et brachialia et crinalia, et psalteria et omnes libri, in quibus mulieres consueverunt legere, que ad Dei cultum pertinent, sedilia ac scrinia, tapecia, dorsa vel tectoria, balnana et omnia pepla, et alia ornamenta capitis muliebria, [/] hoc quod femina spectat suppellectile. Et ad hunc diversa sunt clenodia, que ad suppellectilia pertinent, singulariter ea non nomine, sicut sunt seticule, pectines, forpices, specula. Sed tela non incisa, nec aurum, nec argentum non textum non pertinet ad feminas. Et quicquid ex tria prenomina rebus inventum fuerit, pertinet ad heredes. Si aliquid ex hiis obligatum fuerit circa vitam viri, qui mortuus est, eximet, si vult, ad quem de iure pertinet. Sacerdos dividit cum fratre, sed non qui est monachus. Si puer in annis pubertatis religionem intraverit, bene potest exire intra ter annos, si vult, et ius servat feudale et terrestre. Sin autem vir, qui est dum annos pubertatis inplevit, religionem intraverit, hic se a iure terrestri ac feodali alienavit, et sua feoda vacant, quia scutum bellicum resignavit. Qui hoc possit protestari per hos, cum quibus similem vitam visus^b est suscepisse.

^a *na marginesie*; ^b *w rkp. vissus*

[hasła: hergewet, gerada, kobieta, miecz, koń, mąż, przysięga, pełnoletność, lata sprawne, pupil, dobra, opiekun, wdowa, równy stanem, klejnot, srebro, złoto, zobowiązanie, kapłan, mnich, transakcja, lenno]